



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Subsectio undecima. Immortalitas animæ probatur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

nem ejus à corpore cruciandam in æternum in inferno , vel damni & sensū poenam toleratram ad tempus in purgatorio , vel demum immediatè , vel quasi per tribulationis temporalis ignem transiuram ad æterna gaudia. Id sat superque stimulare nos debet ; ut vitiorum fugâ , quotidiano bonorum operum virtutumque exercitio eam honoremus. Quia tamen Epicuri affecta putat vel potius optat in morte hominis animam quoque interire , & quod unus sit finis hominum & jumentorum ; & tu cum ejusmodi subinde hominibus fortè ages ; qui ut eò liberiùs in omni prato luxuriæ aut alteri vitio indulgeant , immortalitatem animæ suæ adeoque honorem debitum denegant , & verbum Dei scriptum vel traditum non admittunt. Hinc tatione quoque immortalitatem istam hic adstruendam esse duxi. Quo facto ostendam quoque contra Sectarios breviter , quomodo anima corpori suo juncta moriatur per peccatum moraliter , & reviviscat per contritionem & usum Sacramentorum.

Subsectio undecima.

Immortalitas anima probatur.

1mo. **E**odem argumento , quo demon- stratur dari Deum , scilicet evi- denter implicare , ut verum non sit , quod provero habent , & semper habuerunt sapien- tes ac probi omnes omnium nationum , omnium

*Pars secunda de elevatione
temporuni dissentientibus solùm paucis & flagi-
tiosis homuncionibus, quia natura vel potius au-
tor naturæ non potest tam universalem sen-
sum, qui tamen falsus sit, implantare omni-
bus. Alias enim jure censeretur nos decipere,
& sequeretur Deum omnibus probis & sapien-
tibus voluisse abscondere veritatem aliquam
maximi momenti, eam autem tevelate paucis
quibusdam sceleratis. Quod per se absurdum
est, & blasphemum dictu. Jam autem patet
evidenter ex ritibus & dogmatibus omnium na-
tionum & populorum, Christianorum, Judæo-
rum, Paganorum & gentilium ab ingenio &
doctrina maximè celebrium eos in hoc conspi-
rare, quod anima hominis sit immortalis. Cic.
Lib. Tusc. quæst. dicit: *Naturam ipsam de im-
mortalitate animorum tacitam indicare, quod
omnibus curæ sint & maxima quidem, qua post
mortem futura sint.* *Quod si naturæ vox, omnes-
que, qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid
quod ad eos pertineat, qui è vita cesserunt.* No-
bis quoque idem existimandum est, ut quemadmo-
dum Deum esse naturâ opinamur, qualisque fu-
ratione agnoscimus; sic permanere animos arbi-
triamur consensu nationum omnium, &c. Eandem
de immortalitate animæ sententiam tenuerunt
Philosophi, & tres præcipuæ eorum sectæ:
Platô in Timæo, Stoici & Pythagoras teste Plu-
tarcho l. 4. de placitis cap. 7. Nec Aristoteles
de immortalitate animæ loquitur dubiè, ut fal-
sò quidam oggerit, quia clarè dicit l. 1. de ani-
ma. *Intellectus divinum quid & impatibile est.**

Et

Et lib. 2. secernitur anima à potentia. à qua intremendum & sensus, sicut perpetuum ab eo, quod subest corruptioni. Et XII. Metph. Mentem & animam intellectualē, manere post corpus nihil prohibet, quia habet actionem separatam à corpore scilicet contemplationem.

2dō. Ipsos respectivè paucos Adversarios non tam judicantes quàm optantes animam hominis mortalem esse, eò quod post hanc vitam ob sclera sua nil sperandum, multa tamen timenda habeant, vel invitatos docet impressus à natura metus & horror, ut supra Cicero innuit, post hanc vitam ipsis eventorum juxta tritum illud: *Non timeo mortem, timeo qua fata sequuntur.* Nec ullus sibi præsens (hinc stulti & præ ebrietate vel alia ex ratione rationis impotes excludentur) agonizans est. Qui non sit anxius, etiamsi conscientia eum amplius non arguat peccati commissi post genuinam de peccatis confessionem & contritionem. An ergo credemus hos universim omnes ex instinctu naturæ & rationis ducti ita anxiōs errare, & solos stultos summeque sceleratos hoc in genere sapere. Ad hæc si parem cum brutis exitum expectas, cur horres cadaver hominis mortui, non equi vel bovis? cur cum exuviis hominis mortui pernoctans sentis maiorem ex instinctu naturæ horrorem, quàm si ad sis cadaveri alicujus bestiæ? & si fors præter hominum aliorum morem vel tam generosus sis vel tam brutus, ut nullum exinde horrorem sentias, experieris tamen appropinquante morte propriâ horrorem ratione futu-

futurorum; nisi vel in amentia vel ebrietate appropinquans mors te occupet. Et sanè & meā & aliorum plura me expertorum constat experientia. Quod, quicunque demum rei ad ferale supplicium educti, licet exterioribus lignis & verbis nullatenus videantur formidare mortem, semel tamen, sive dum funesta iis sententia prælegitur, & ex carcere educuntur, sive in via, sive sub finem, dum in loco supplicii sunt, agonem aut luctam aliquam patientur. Benè dispositi & ritè de peccatis suis contriti adeoque cælum sperantes luctâ semel superata ex post animosiores sunt; quam scelerati desperabundi nolentes se ad Deum convertere. Internam hi anxietatem conantur suppressare spectatoribus. Hinc in blasphemias maledicta etimpunt, potum continuò petunt, vel eo se ab ante jam tum ingurgitârunt, ut cō confortati vel etiam ebrii vermein conscientiæ futurorum prælagūn sopiant. Quid quod ab expertissimis Belliducibus non semel audierim. Quod malint habere instantे ac durante atrocí prælio militem, qui bonam habet conscientiam, adeoque ratione futurorum non adeo anxius est, sed cælum sperat, quam generosissimum quemque sceleratum militem, qui, si non mortem timet, ei tamen libenter se vellet, & etiam conatur subducere ob horrorem ac metum, quo intus uritur ob secutura post mortem. Et hinc dura accidit mors non tantum ob separationem animæ à dilecto corpore, ob dolores, quibus corpus affligitur, sed revera simul natura ipsa &

& ratio homini cuique in agone sibi præsentis dicat, quod post mortem debeat expectare Iudicem rationes anteactæ vitæ ab anima sua expolcentem.

3tio; Supposita, quam Subsec. immâ hic probavi, existentiâ Dei, entis in existendo necessarij, Infinitè perfecti, justi, sapientis, prvidi, evidens est animati rationalem post mortem hominis saltem aliquanto tempore manere superstitem. Quia cum Ens hoc infinitè perfectum rationali creaturæ suum finem præscriperit; scilicet ut Creatorem suum debitè honoret, & reveretur, & ad hoc media suppeditarit; non potest non esse; ut rationalem creaturam istam vel pro merito plecat, vel præmietur. Quod si jam anima hominis post separationem à corpore non supervivat. Sæpè gravissima flagitia etiam paulò ante articulum mortis perpetrata manerebit impunita, & præclarissimæ virtutes etiam sub & in articulo mortis exercitæ debito carerent præmio. Et sic, cum sæpè scelerati ad finem usque vitæ sint felices, & gaudiis suis perfruantur, & boni usque ad vitæ ultimum sæpe premantur adversis. Deus nullatenus prvidus & justus esset. Quod si jam, ut debes, concedas, tempore ergo aliquo à te non definiendo, animam post separationem à corpore supervivere; neges tamen inde sequi eam immortalē esse; eo quod tempore aliquo & pœnis & præmiis debitissimis eam cumulare omnipotens possit. Jam arguis; quod ego hactenus ex discursu hoc elicere non volui. Hoc solum

dico (praescindendo modo ab æternis premis
seu pœnis) si anima hominis à corpore separata
aliquanto tempore vivit , ergo & operationes
suas intelligendo & volendo elicit ; vel ostendat
rationem , cur vinculis corporeis libera eas
non æquè benè , imò non promptius elicit ,
quam illis adstricta scio rationem , tu nullam so-
lidam ex sana Philosophia invenies . Imò ex hac
ipsa contra te militat ; quod idem manens idem
[ut eadem est anima corpori conjuncta , & ab
eo separata] faciat , aut facere possit idem . Et
inde Aristoteles , ut supra dixi , arguat animam
post separationem à corpore manere , quia ha-
bet actionem separatam à corpore scilicet contem-
plationem . Et cùm jam eò usque devenerimus ,
quod salvâ Dei providentiâ & justitiâ aliter esse
non possit , quām ut anima vel pro merito ple-
nitudo , vel premianda post separationem à
corpore aliquamdiu saltem supervivat . Dic ob-
secro , an ei sic separatæ , & premium à Deo
meritæ gaudium aliquod secundum ejus natu-
ram & indolem assignare possis ? si nullas in-
tellectus & voluntatis operationes eidem con-
cedas . Quod enim aliud ejus erit gaudium ?
quām intellectu percipere summum , à quo cre-
ata est , bonum , aliaque perspicere delectabilia ,
& in ea voluntatis operatione rapi ? similiter
(praescindendo jam ab igne avernali & pena
sensus) tormenta animam precise torquentia
non invenies , siquidem pœnis merita est , quam
in operationibus intellectus , vi quarum clare
agnoscit , quām male fecerit , & voluntatis ,

vi quarum ideo dolet, & peracta scelerata ob
præmium omne perditum detestatur. Et quid
demum homo barde omnis sanæ ratiocinatio-
nis expers est animani à corpore separata vi-
vere, & in actu secundo operationes vitales sibi
congruentes elicere, quam intelligere & velle in
actu secundo?

Jam ut proprius ad scopum veniamus, & il-
lud tuum effugium, quod licet salvâ Deli pro-
videntiâ ac justitiâ aliter esse non possit, quam
ut anima post separationem à corpore ratione
promeritarum pœnarum aut præmiorum super-
vivat) inde non sequatur eam immortalem
esse ac semper vicioram. Ego exinde, quod
anima à corpore separata independenter ab
omni phantasmate aliisque corporeis aut mate-
rialibus adminiculis intellecções & volitiones
elicat. Ego inquam exinde in primis infero,
quod potentia pure spiritualis sit, quia certio-
rem nullam habemus, nec ulli Philosophi ha-
bere possunt de essentiis rerum scientiam aut
demonstrationem, quam quæ ex earum actio-
nibus vel operibus colligitur. Estque decan-
tatum Physicorum naturas rerum indagantium
principium; quod, sicut actu natura ex ob-
jectis, ita potentiarum ex actibus, quos ope-
rantur, dignoscatur. Unde sicut ex hoc An-
gelos potentias mere spiritualis esse arguitur,
quod actus spirituales eliciant sive cognitiones
eiusmodi ac volitiones. Ex eodem pariter prin-
cipio consequitur & animam hominis poten-
tiam esse spiritualem. Cùm perspicuum sit, pro-
priâ-

priaque constet experientia, quod mens nostra non solum scientiam, quae de rebus corporeis est, sed etiam de incorporeis (ut sunt Metaphysicæ disciplinæ, & quæ de Deo est altissima Theologiæ sapientia) tractet, ea perscrutetur, transcendensque omnem materiam in ipsas naturas spirituales intuitum convertat. Atque exinde etiam consequitur, quod, licet bruta quædam ut canis leporem insequens, simia elephas &c. hæc illa secernens aliquo modo rationari videantur, inde inferri nequeat, & illorum quoque animas potentias spirituales esse. Quia ex iis imperfectis ratiocinationibus, quas anima in homine stulto, puer, ebrio, dormiente elicit ob organa humani corporis non ritè disposita, quæque multò perfectiores saltem sæpè sunt omnibus brutorum imperfectis ratiocinationibus, ex iis inquam modo non infero animam hominis potentiam esse mere spirituali-
lem; sed ex iis, quæ organis ritè dispositis circa Metaphysicas disciplinas, Euclidis theorematâ, problemata à viris acutissimis proposita, altissimam de Deo scientiam, principia lumine naturæ nota, vel longis & abstrusis difficillimis que argumentationibus eruenda etiam de rebus mere spiritualibus, nec sub sensu cadentibus anima hominis discutit, pro & contra examinat, & tandem scientificas de his illisve conclusiones format, ex iis inquam operationibus mere spiritualibus & perfectis ratiocinationibus infero, eam potentiam propriè spiritualem esse.
Nec ex operationibus istis id tantum consequitur;

tur; sed & ex facultate liberi arbitrii ejusdem animæ corpori adhuc conjunctæ. Actus enim voluntatis elicit, qui & supra & sœpè contra sensum omnem sunt, omnibusque passionibus hominisque inferioris inclinationibus contrariantur. Et hoc sœpè exinde evenit, quod subita illustratio ex parte intellectus independenter ab omniphantasmate, & similis pia motio vel delectans vel terrens ex parte voluntatis immediate à Deo immittatur, quæ voluntatem ad actum amoris in Deum, aversationis erga peccatum eliciendum inicitat. Et quid hæc inculcant aliud, quam quod anima potentia sit spiritualis. Evidem quia actus, est corporis organici sive ejus forma, quam diu, ut phrasí Apostoli loquar, alligata est corpori mortis hujus, operationes suas ordinariè dependenter à sensibus inchoat, ipsaque spiritualia per species alienas rerum corporearum intuetur, sed etiam sœpè (ut in illustrationibus subito independenter ab omniphantasmate à Deo immediate immisis patet) & independenter à re omni corporea cognitiones ac volitiones elicit; & scientificas conclusiones, ut supra ostendi, à conditionibus omnibus corporeis secretas format. Demum nullis sanè corporeis adminiculis indiget ad eliciendos actus intellectus & voluntatis a corpore separata, eosque tunc multò perfectiores elicit. Ergo spiritualis est potentia. Jam cùm eam aliquamdiu saltem post separationem à corpore debere vivere (ut sive meritas pœnas sive condigna accipiat præmia, prout providentia ac justitia

498 *Pars secunda de elevatione*
tia Dei exigit) vel invitus concedere debeas;
Rationem adfer *primo* cur, cum esse sit propter
operari; ipsa tam diu non possit vivere, quam
diu potest operari? & dein defini annum, ho-
ram vel tempus, quo amplius operari non pos-
sit. Rationem adfer *2do*. Cum potentia sit me-
tē spirititalis, unde vel ob quam causam ali-
quando desinere debeat? solidam rationem nul-
lam adferre poteris. Nisi vel ostendas, quod
causa eam conservans deficiat, vel ex internis
contra se pugnantibus qualitatibus paulatim
corrumphi debeat, ut sit in corpore nostro, vel
substantia aliqua aut accidentis ejus exigat destruc-
ctionem, aut ad eam cooperetur. Deus eam
condens & conservans in æternum manet, &
ab æterno fuit, qualitates internæ purum spi-
ritum paulatim corruptentes vel substantia ex-
trinseca aut accidentis ad spiritus destructionem
cooperantes, vel cum annihilare valentes in
creatís assignati non possunt. Ergo anima ho-
minis ex natura à Deo accepta immortalis est, &
à solo Deo, qui ex nihilo illam produxit, quo-
que annihilari seu in nihilum redigi potest.

4to. Jam quod à Deo annihilanda non sit
anima hominis, sed vel in æternum ditis ac mi-
tris modis torquenda, vel gaudiis in Deo & per
Deum fructuā sempiternis, ex ratione constat
reflexa. Ostendi enim in libello hoc c. t. post
§. 1. Subsec̄t. i m̄ia ex ratione, dari Deum verām
que religionem seu cultum ab ipso præscriptum.
Et cum, qualis ab ipso cultus præscriptus sit hu-
mano generi, homo quisvis ad vetam religio-
nem

nem aspirans scire non possit , nisi ex certa quadam generali , & ab omnibus sibi applicabili regula , ulterius inde ex ratione consequitur , dari ergo debere verbum Dei traditum aut scriptum , ex quo regula illa generalis desumi possit . Si jam fatio tibi dictat , id à te acceptari debere , jam convincit quoque , quod credere debeas in eodem contenta . Atqui utrumque & scriptum & traditum Dei verbum immortalitatem animæ tuæ , eamque vel in æternis fore gaudiis vel suppliciis , tibi dictat , & religio illa , quæ consideratis omnibus sectis certissima habet omnis credibilitatis motiva , quod vera & à Deo in orbem introducta sit , centies & millies id tibi inclamat . Ergo iterum instanter instantissime te togo & adjuro , ut animæ tuæ in vita hac bene prospicias . Cùm separatio ejus à corpore tuo tantum contingat semel , & momentum , in quo hæc contingit , punctum sit , circa quod sine fine circulus vertitur vel felicis vel infelicis æteritatis . Stulte , si vel probabili arguento ad id credendum inducereris . Nonne oportere te angī curā ob eventurā animæ tuæ post hanc vitam ? sicut omniem adhibes cutam illud temporale incommodum vel miseriam amo- liendam ; quam prudens tibi ratio dictat eventuram , nisi hoc il- love in modo præcaveas .

